



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

De Vsvris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

partem fructuum, si tamen fundus id onus sustinere possit, & seruetur in emptione mediocris æqualitas. Ac tales emptiones non fiunt uitiosæ pacto redemptionis. Cum igitur maneat natura emptionis, etiamsi tale pactum accedit, licet emere, uendere, & possidere fundos aut redditus cum pacto de reuendendo.

## DE VSURIS.

## Licet ne usuras accipere?

**N**on licet. Quia Christus inquit, Mutuum date, nihil inde sperantes. Et lex prohibet Deuteronomio 23. Fratri tuo absque usura mutuabis id quod indiget. Et psalmo. 14.

**Usuræ qd** Qui pecunias suas ad usuram non dedit. Et Ezechiel. 18. Sunt autem usuræ, quando in mutuatione paciscimur, ut aliquid supra sortem nobis propter ipsam mutuacionem detur. Ideo autem sunt iniuste usuræ, quia exigitur non debitum, Soluens enim mutuum nihil amplius debet, & tamen amplius exigitur pro nulla re. Ergo non seruatur æqualitas. Et hæc causa est, cur usuræ exhauriant ciuitates, quia sceneratores auferunt plurimum, pro quo nihil recipit soluens. Non potest igitur talis comunicatio esse perpetua, cum non sit mutua compensatio.

**E**st ne usura, Reditus habere emptos in aliquo certo fundo fructificante, ut supra dictum est?

**R**espondeo, Non est usura, quia ille contractus non est mutuatio, sed uera emptio. Concurrunt enim ibi substantialia emptio nis, merx, precium et consensus. Merx est ius seu seruitus in illo fundo fructificante. Atque hinc facile potest iudicari, quando sit uera emptio, scilicet cum subest merci aliquod corpus, quo corpore pereunte, reditus periret. Item in mutatione is qui dedit mutuo, retinet ius repetendæ sortis. Sed is qui emit reditum in alienis bonis, non habet ius repetendæ pecuniæ. Ergo ille contractus non est mutuatio.

**D**e eo quod interest,  
**E**st ne usura soluere id  
quod interest?

**R**espondeo, Id quod interest, omnino differt ab usuris. Nam id quod interest, debetur etiam sine pacto, et tunc habet locum, cum aliquis alteri dedit efficacem causam damni, ut si quis promississet se soluturum esse ad Calend. Maij, et illo non solvente ego damno aliquo

aliquo affectus essem, ob hanc ipsam causam quia illa pecunia caruissem, ille quia dedit efficacem causam damni, debet soluere id quod interest. **I**sta est igitur ratio, & consentanea naturæ, cur soluendum sit id quod interest, quia nemo debet uelle locupletari cum damno alterius. **H**oc exemplum aliquo modo indicat quid uocetur interesse, & ubi locum habeat. **N**on enim debet prætexi rapacitati sceneratorum, qui mutuationem tantum in questum conferunt, nec petunt id quod interest, quia mutuo accipiens dedit efficacem causam damni, sed simpliciter petunt lucrū. **C**um autem magna sit uarietas contractuum, prudentia adhibenda est in iudicando, nec temere pronuntiandum est, & cum contractus sint res politice, ualet iudicium magistratus ac legum, id est, sapientis & æqui iurisconsulti de contractibus, sicut et de alijs rebus politicis. **H**ic sapiens iurisconsultus discernet usuras & id quod interest. **C**onferet etiam mandata diuina cum iure humano, ne approbet apertè pugnantia cum mandatis **D**ei.

## DE RESTITVTIONE.

**E**st ne uera regula, **P**eccatum nō remittitur, nisi ablatum restituat.

**R**espondeo,